

Conrad Asswede von

Disputatio Inauguralis De Praesumptionibus Earundemque in lure effectu

Basileae: Genathius, 1674

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769102247>

Druck Freier  Zugang





V. N. — 2 (100.)

1. Mollenber de duobus testamentis simul validis
2. Cuvoc de investigando definiendoque statu causae forensis.
3. P. Müller de libris officialium, autli vngi str.
4. Stanting de curatore ad litem.
5. Stryci de juramento purgatorio in causis civilibus.
6. Stryci de domicilii mutatione.
7. Radov. de subfeudis.
8. Bünsow de jure deactionis et emigrationis.
9. Stryci de matrimonio ex ratione status.
10. Beckmann de libris aetatis.
11. Bursfeld de tituli invalidi convalidatione.
12. von Aoweloe. de praerogationibus.
13. Both de anatopis rno.
14. Charivius de dolo.
15. Charivius. de culpa.
16. Willebrandt. de senatusconsulto macedoniano.
17. Ranger de masculorum conditionibus melioribus in jure.
18. Rahne de jure protinereos.
19. Ranger de concurren actionum.
20. Ranger de eo quod iustum est circa consilium.
21. Pauli de immunitate et foro philosophorum.
22. Radov. de furtis.
23. Büttner de torturis et tormentis.
24. Krafft de concursu iudicii civilis et criminalis in causis ultimi supplicii
25. Meyer de iudicio in crimine magiae quoad torturam reprobatis et approbatis.
- 26-2. Wegner de verborum significatione disput. 1-1x.
27. Cleemann de reciproca cohaerendum substitutione
28. Eichrod de vi rei iudicatae.
29. Wincoep de revocanda divisione hereditaria.
30. Reinhardt. de successione fidei.
31. Banfa de usuris ultra alterum tantum.
32. Schroeter de conuoto vel inconvoto ex alterius persona accidente, quod ex sua non habuisset.
33. Schroeter de reformatione iuris civilis circa causas matrimoniales a Romanis pontificis per ius canonicum perverse tentata.
34. Streit de actione quae ex mala munieris administratione competit.

35. Gribner de fidejussore mulieris apud Saxones sine curatore contrahentis.
36. Beckmann de patria potestate.
37. M. Graf de jure protutorum.
38. Klünger de dote.
39. Werner de jure emphyteutico.
40. Streit de repudio et divortio.
41. G. Engelbrecht de successione ab intestato et honorum possessione.
42. J. L. D. Böhm de filio vasalli successore in feudum.
43. de Khevenhüller ab Aichelberg de eligendo Romanorum rege.
- 43². de Bellmont de academia Erfurtana.
44. Spoenla de foro ac privilegiis practiciantium in camera imperiali.
45. Kestner de jure humaniore Codicis.
46. Schroeter de relaxatione juramentorum.
47. Schroeter de probatione per testes et praesumptiones itemque juramentis
to judiciali et necessario in processu executivo locum habente.
48. Brückner de favore ultimarum voluntatum.
49. Schroeter de principum recriptis eorumque usu moderno.
50. Sahn de jure numeri septenarii Bon. Vuff sur subaudius Zaff.
51. Wolpmann de eo quod justum est circa contractus noviter introductos.
52. Scherbaum de pariete communi ejusdemque jure.
53. Schmid de denunciatione e suggestu.
54. Schulz de eo quod justum est circa parochianos.
55. Ludovici de eo quod justum est circa campanas.
56. Streit de quatuor quartis.
57. Makov de impensis in rem alienam a l. et m. f. possessore factis.
58. Schott. de uxore desertivae dote sua esse regula quidem, non tamen
semper privanda.
59. Bauer formulam, qua pecunia dotatium serviens vidua mortua
in feudum ad filios reverti jubetur, fideicommissum non inferre.
60. Riccio de conventionione obligationis debitoris ad carcerem in omni
ra debiti.

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

PRÆSUMPTIONIBUS

Earundemque in Jure effectu,

Quam

Supremo favente Numine.

EX

DECRETO ET AVTHORITATE,
Magnifici Amplissimi, & Consultissimi Jctorum
Ordinis; Celeberrimæ ac perantiquæ
Rauracorum Academia.

PRO

Summis in Utroq; Jure Honoribus, Privilegiis
atque immunitatibus Doctoralibus
ritè consequendis.

Publico eruditorum examini submittit

CONRAD VON ASSWEDE, B. S.

Ad diem 24. Martii, ANNO M DC LXXIV.

Horis & loco solitis.



BASILEÆ,

Typis JOH. RODOLPHI GENATHII.

ILLUSTRI, GENEROSO AC STRENUO
DOMINO

DN. ERNESTO CHRISTIANO
von Haspergen.

Serenissimæ Domus Luneburg; Satrapæ meritif-
simo, Comitatus Hoyensis Consiliario, Hæ-
reditario in Estorpf, &c.

Mæcenati suo Munificentissimo

Præsentem Disputationem Inauguralem, in grati-
animi Symbolum, & in perpetuum exhi-
biti favoris, testem, sacram facit

AUTHOR.



DEO DVCE
DISPUTATIO INAUGURALIS
De
PRÆSUMPTIONIBUS
Earundemque in Jure Effectu.

L. S.



Aucis hisce paginis tibi exhibeo B. L. materiam utilem quidem, & in praxi quotidianam; cujus utilitatem multis si proponerem, Iliados post Homerum scribere viderer; at fat intricatam, imò ferè inextricabilem, per Universum enim jus sese illarum species diffundunt. Lubens hinc fateor, præsentis paginas minimè explanationi hujus materiæ sufficientes, nec facultates ingenii mei ejusdem explanationi pares esse: Verùm ut an- sam saltèm disputandi præberem, paucula hæc in char- tam conjeci, de cujus tractatione tamen sequentia in an- tecessum monere necessarium duxi. Universam igitur præsumptionum materiam in tria membra dispelcere placuit, quorum primum præmissis Ethymologia & Sy- nonomia, ejus definitionem continebit, cum monente Cicerone *lib. I. Offic.* Omnis quæ de re suscipitur institu- tio à definitione debet proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur: Subjunget idem præsumptionum nonnullas divisiones earundemq; affinia. Alterum mem- brum varias illarum species, per diversas juris materias tractatas, exhibebit. Terrium deniq; de illarum effectu, tam in civilibus quàm criminalibus nonnulla proponet.

A

MEM-

MEMBRUM I.

De Origine, Definitione, Divisione & Affinibus
presumptionum.

THESES I.

Homo sit oportet, qui actiones humanas edat, ut
potè è quarum principiis præcipuum deducitur
presumptionum fundamentum. Illarum duo an-
notasse principia, secundum Moralistas, suffecerit: Volun-
tatem scilicet & potestatem, quæ ut valeant, jurisque effe-
ctum producant, concurrant necesse est. *arg. l. 6. C. si quis alt.
vel sibi. l. 26. C. de jure dotium. cap. 23. de offic. & potest. judic. deleg.*
Illius autem declaratio variis modis fit; Hic enim verbis vel
literis mentem exprimit suam, ille rebus vel factis idem per-
ficit; qua ratione jam illarum interpretatio facienda, seu
quomodo in dubio ex iis præsumendum, sequentibus dicam.

II.

Vocabulum præsumere secundum communem Docto-
rum opinionem originem ducit à præ & sumere, id quod ex
ipsius vocabuli sono patescit. Accipitur secundum Alcia-
rum dupliciter. 1. Pro eo quo aliquid sine autoritate su-
perioris præsumptuosè agitur. 2. Quo idem est, ac aliquid
pro vero habere, quæ propria hujus vocis acceptio seu signi-
ficatio esse dicitur.

III.

Definiri vel describi præsumptio poterit, quod sit quæ-
dam de re anticipatio, pro vero aliquid ante legitimas pro-
bationes ex eo quod plerumque fit, aut plerumque intelligi-
tur, fumens: Sive præsumptio est conjectura probabilis, ex
certo aliquo signo proveniens ad instruendam rei dubiæ fi-
dem, quæ alio non adducto pro veritate habetur. *Menoch. de
presumpt. tria illius ponit requisita. 1. Ut omnis præsum-
ptio sit fundata super verisimili. c. 10. quia verisimile. de præ-
sumpt. 2. Ut sit conjectura, qua differt à probatione. Ratio
est in l. 83. ff. de condit. & demonstr. quia præsumptio non est
propria probatio, alias per se relevaret ab onere probandi.
3. Ut ex certo signo proveniat, nisi enim de signo constiterit,*
lex

lex non præsumit, hac ratione præsumitur patrem diligere
filium, præsupposito constare, illum patrem esse.

IV.

Definitionem excipit divisio. Dividitur secundum Ca-
nonistas quadrupliciter. Alia enim est Temeraria; illa sci-
licet, cui, ut conciperetur in mente hominis conjectura ali-
qua; est non probabilis causam dedit. *per. c. 44. de sentent. ex-
comm.* Alia probabilis, quæ concipitur in mente hominum,
est à conjectura probabili. Alia Violenta: quæ facit plenam
probationem. Quarta necessaria nuncupatur, cujus causa
ita evidense est, ut negari non possit. Hujus distinctionis fun-
damentum vide, *in cap. 2. cap. 12. cap. 14. de præsumpt.*

V.

Alia secundum communem Doctorum sententiam est
præsumptionis divisio, qua dicunt, eam esse vel juris tan-
tum, vel juris & de jure simul. Illa est quando in dubio jus
aliquid præsumit, nihil quidem desuper statuendo, quod pro
jure habeatur. Hæc cum à lege aut Canone ita aliquid præ-
sumitur, ut desuper jus firmum statutum, & pro veritate re-
ceptum sit. Prioris generis præsumptionum effectus est, ut
admittat probationem in contrarium. Exemplum erit in
l. 24. ff. de probat. & præsumpt. Ubi dicitur licet ex cancella-
tione præsumatur, debitorem eo ipso liberatum esse, tamen
eum in eam quantitatem rectè conveniri, quam creditor ma-
nifestis probationibus sibi adhuc deberi ostenderit. Poste-
rioris effectus in eo consistit, ut non admittat probationem
in contrarium regulariter. Exemplum est in præsumptione
matrimonii inter sponsam & sponsam, orta ex concubitu.
cap. is qui fidem dedit. 30. de sponsalibus.

VI.

Dictum thesi prima conceptuum nostrorum declara-
tionem variis fieri modis, inter quos ea, quæ verbis fit po-
tior habetur, in eorum autem interpretatione, seu exinde
resultante præsumptione, locum habet illud Livij: *Sine dolo
malo, utiq; ea hic hodiè rectissime intellecta sunt.* Illam jam in-
terpretationis mensuram colligimus ex signis maximè pro-
babilibus, quæ secundum Hugonem Grotium: duorum sunt
generum, ex verbis tantum, vel ex aliis conjecturis super-
venien-

venientibus. in tract. de jure B & P. lib. 2. cap. 16. Verborum autem interpretatio facienda, secundum eorum proprietatem seu usum, valent enim illa ut nummi. Hinc ex populari usu præsumitur de illorum interpretatione, proinde qui promittit se promissis staturum, quamdiu terram hanc in- sistit, præsumitur, promissi fidem ad vitæ terminum exten- sam esse. Stulto proinde effugio usos Locros, qui facto in modum recensitum promisso, terram calceamentis injece- rant, qua ejecta, sese religione promissi exsolutos asserant, referente Polybio, apud Grotium. Rectius Cicero lib. III offic. scribit. Ejusmodi fraudibus astringitur potius quàm dis- solvitur perjurium.

VII.

Interdum evenit, ut conjecturis locus sit, ob verborum multiplicem acceptionem. Quæ conjecturæ præcipue vel ex Materia, vel Effectu, vel ex Conjunctis desumuntur. Ex Materia exemplum esto in diei appellatione, qui secundum receptiorem ejus acceptionem spatium viginti quatuor ho- rarum includit; Hinc qui inducias aliquod dierum paci- scitur, hostem noctu aggredi posse, minimè præsumere li- cet, cum in prædicto horarum spatio & nox contineatur. Simili ratione, qui homines reddere promissit, aut dimidiam navium partem, non homines jam occisos, ut Plataenses; aut naves sectas, ut Romani Antiocho fecere; sed homines navesque ad usum aptos, idoneosve reddere tenetur. De aliis idem esto judicium. Ex Effectu quoque interpretatio nonnunquam facienda, attendendo scilicet, qualem ex usu receptiori secum trahat. Sic si Turca promitteret, se ditioni ad Imperium spectanti excessurum; præsupponendo illum (quod divina Clementia avertat) portionem aliquam Im- perio eripuisse, postea verò ditionem illam quam manu mi- litari occupasset, suam reputaret, quisne eum perfidiæ cri- minis accusaret, acceptio enim vocis importat, ut omnis dicio ante exortum bellum, & pace confecta ejusdem Domi- ni præsumatur, nisi expressè aliud dictum fuerit. De con- junctis, & qualis inde interpretatio videatur Grot. all. loco.

VIII.

Hactenus de voluntate nostra verbis declarata, quæ di-
citur

citur expressa; sequitur de istius declaratione quæ rebus
vel factis fit, quæ à Doctoribus tacita seu præsumpta salu-
tatur. l. 32. §. 1. ff. d. ll. Illa autem facta sunt in duplici diffe-
rentia; quædam enim sunt Juris Gentium, id est, talia, quæ
dicto Jure Gentium apud omnes populos tanquam volun-
tatis indicia & Symbola recepta, e. g. In Emptione-vendi-
tione, si emptor manum suam conjunxerit manu venditoris
(so er den Hand-streich gethan) præsumptio apud omnes gen-
tes, qui hocce contractu uti consuevere, est, emptorem in pre-
tium demandatum consensisse. Item qui sponsalia palam
vel publicè contraxit de eo ex Jure Gentium præsumptio
est, quod desponsatam in uxorem ducere velit. Quædam ob
æquitatem vel aliam causam pro indiciis sufficientibus ha-
bentur, quorum effectus in eo consistit, ut ex illis voluntas
saltem præsumatur vel fingatur.

IX.

Illæ autem causæ iterum variæ sunt, vel enim funda-
mentum in natura habent, ex quibus præsumptio oritur:
hac ratione præsumitur illam virginem non esse, quæ pepe-
rit; similiter, ubi quis fumum exire videt, de ignis præsen-
tia præsumit. Et sic de aliis: Vel ab exteriori præsumitur
de interioribus. Sic puer, qui libenter sapientes audit, vir-
tuti studet, &c. præsumitur eum bonæ indolis esse, bonumq;
futurum. Item quam habitu virginum uti in publico vide-
mus, illam & virginem esse comuniter dicimus: Vel ex præ-
teritis præsumimus de futuris; ut in specie c. 6. de præsumpt. ap-
paret. Papa cuidam officium legationis committens, super o-
mnes Siciliae Ecclesias, dicit, se hoc personæ tribuere, quia ex
transacta illius vita didicerit, quid de subsequenti conversa-
tione ejus præsumendum: Ex aliis præterea negotiis, & per-
sonarum circumstantiis, tanquam signis & argumentis præ-
sumptio oritur; lege aut Canone introducente, ut aliquid de
re proposita credat, quorū saltem unicam subjungam exem-
plum, sic ex vicinitate præsumitur vicinum vicini sui acta
nosse, sc. an filius natus legitimus vicino filius sit; cujus effectus
est, ut non facile credatur in contrarium. 16. dist. c. 14. quod dicitur.

X.

Affinia Præsumptionum capiti priori finem imponant.

A 3

Est

Est autem illi affinis fictio, cujus Doctores tres ponunt species: 1. Affirmativam, Positivam, seu Inductivam, quæ est cum fingendo ponitur aliquid esse, quod nunquam est vel fuit: Ejus exemplum est, cum mortuus in acie pro salute Reipubl. in perpetuum vivere censetur, per *princ. Inst. de excus. tutor.* 2. Negativam seu Privativam, ubi fingit Jus aliquid non esse, quod tamen est; uti in casu. *S. 5. Inst. de action.* 3. Translativam, cum nihil novi fingitur, sed quod est in uno transfertur in aliud. Quæ translatio iterum variè fit. 1. A Persona in personam. *l. 1. S. 12. ff. de vi & vi armata.* 2. De re ad rem. *l. 74. ff. de contr. empt.* 3. De loco ad locum, quando præsens pro absente habetur, & vice versa. 4. De tempore ad tempus, quod contigit in duabus insignibus speciebus fictione scilicet postliminii, & legis Corneliæ. Vide Hahium ad hunc locum.

XI.

Differt autem fictio à Præsumptione 1. Definitione. Fictio enim est legis adversus veritatem in re possibili ex causa justa dispositio, quo posito sequitur illius altera differentia, nempe, quod illa sit legis, hæc verò hominis. 3. Fictio est adversus veritatem, Præsumptio autem in veritate fundatur: Super falso enim & certo fingitur, super incerto, tamen verò præsumitur, secundum Glossam in *l. unica Cod. de rei uxor. actione.*

MEMBRUM II.

De variis Præsumptionum speciebus.

XII.

Species præsumptionum caput præsens exhibet, illæ verò, cum ut suprà monui se per universum Jus diffundant, imò secundum communem opinionem tot sint, & tam variæ, ut certis cancellis includi non possint, sed ob minimam circumstantiam varient, ejusq; cognitionem prudenti potius judici relinquere, quam certi quid de iis determinare suadeant: Hic suffecerit secundum diversam rerum & personarum considerationem sive respectum, primò generalia quædam delibasse, post nonnullos speciales casus, prout sequentia demonstrabunt breviter attigisse.

XIII. Ad

XIII.

Ad Generales præsumptiones circa personam meritò referimus *reg. 8. in 6to de R. 7.* Semel malus semper præsumitur talis: fundamentum in eo esse videtur, quod ex multis actibus reiteratis, præsumendum rem in consuetudinem abiisse, aut habitum acquisitum esse, cujus præsentiam regulariter præsumimus, constat enim hominem ad mala pro dolor maxime proclivem esse, illisque sæpius summoperè delectari: Ex unico hinc actu, cui interfuit reus, præsumitur, & eum secundo adfuisse, si iterum atque iterum deprehensus fuerit, semper pro tali habendus. Cujus effectum suo loco recitabo. Et meritò, quia habitus semel acquisitus non facile cessat. Hinc qui semel incarceratus, aufugerit, si aliàs fidejussoribus datis relaxandus esset, tamen ob præsumptionem quæ eum gravat, firmiori loco includendus, & diligentius custodiendus venit. Similiter qui bonus fuit & nunc bonus est. *per cap. 6. de præsumpt.* Mihi itidem potius cavisse præsumor, quam aliis; natura quidem insitum est, sobolem diligere suam, illique de commodis comparandis, ac incommodis avertendis prospicere, ita tamen illis benefaciendum ni mihi malè sit, cum charitas omnis incipiat à se ipsa, rectius ergò proprias res quemlibet prius curare præsumitur, quam alienas. *cap. 19. distinct. 3. de pœnit.* Nec tenetur ulla actione, qui alienas merces suarum mercium servandarum causa in mare projecit, ut dicit Ulpianus *in l. 14. ff. de præsc. verbis.* Pater licet teneatur filium suum alere, sibi tamen prius quam filio de alimentis prospicere debet.

XIV.

Generalis præsumptio circa res est, quod omnis res in dubio præsumatur allodialis & libera, non verò feudalis & emphyteutica. ratio, quia ab origine sui omne prædium censetur liberum à qualibet servitute *arg. l. 8. q. 6. & seqq. C. de servit. & aqua.* Hinc feudum nullum præsumitur, nisi probetur, per modum in jure feudali receptum: Princeps ergò seu Comes principatum comitatuumve suum jure possidere proprio præsumuntur, non jure feudali, quod favor libertatis introduxit, ut potè naturæ humanæ convenientior: Itidem qui olim rei Dominus, & nunc præsumitur ejusdem Dominus esse,

esse, arg. l. 16. C. de probat. ratio assertur in l. 11. ff. de R. I. Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest; qui ergo me Dominum ejus rei de qua quaeritur, non esse asserit, factum nostrum intervenisse probare debet, quia sine eo dominium non amittitur. Ob eandem rationem praedium omne in dubio praesumitur ad eum pertinere, aut illi subditum esse, in cujus territorio seu diocesi situm est: Quidni enim is, qui rerum omnium ditionis cujusdam dominium habet, in dubio & rei particularis Dominus censetur.

XV.

De Generalibus haec sufficient: subjungendae praesumptiones speciales, quae pro diverso personarum respectu, diversae reperiuntur. Aristoteles in politicis tradit, personam omnem considerari posse, prout est extra societatem civilem constitutus, vel cum jam certae societati sese addixerit, ita ut illius societatis civis seu membrum eo ipso factus fuerit: Sub priori consideratione persona in eo statu est, ut non quidem necesse sit illum in civitate vivere, quamvis civitatis status, illarum societatum exercitium ad sui requirat conservationem; tamen illam quam proximè accedere aptitudini ad societatem civilem, & saltè ut prius & posterius differre. Illae enim societates simplices, quarum Aristoteles recenset tres, nuptialem scilicet herilem, & paternam, nihil aliud sunt, quam bases seu fundamenta, ejus societatis, quae politicae, seu Reipublicae justae nomen meretur, quid jam praesumptio, secundum praedictum respectum operetur, delineabimus.

XVI.

Primum ergo & praecipuum Universi sustentaculum est illa facultas procreandi sibi similem, quae inter homines nuptiarum nomine venit, quid autem matrimonium sit in l. 1. ff. de ritu nupt. videre est: Hujus ritus solennes non recitabo, cum Historici passim eorum mentionem faciant: sufficit dixisse, eorum apud gentes moratiores inviolabilem habitum, graviorique poena olim in transgressores animadversum fuisse: Dictae autem societatis nuptialis seu legitimi matrimonii probatio ex variis, secundum jus nostrum desumitur circumstantiis: Hac ratione in uxorem ducta praesumitur,

mitur, quam vir sponsaliis præcedentibus in domum deduxit suam, aut qua cum perpetuò moratur, ex illa enim transductione ad domum præsumitur certa copula, & consequenter inde oritur præsumptio juris & de jure pro matrimonio, præsertim, si copula carnalis subsequuta fuerit. *c. 30. de sponsalibus.* Honestam enim fœminam copiam corporis sui facere non præsumimus, nisi sub spe ineundi matrimonii *l. 24. ff. de ritu nupt.* Similiter ex fama matrimonium præsumitur initum, illa verò à vicinis probari potest, ubi ergò vicinia attestatur, quod v. g. Titius Sejam in lecto & mensa sicut uxorem habuerit, Seja autem in dubio id neget, decernit summus pontifex, eam cogendam, ut eidem viro adfectu adhæreat conjugali. *cap. 11. de præsumpt.* Item si alter alterum conjugis titulo honoraverit, nam nominatio Præsumptionem inducit. *arg. cap. 10. de probat.* indignum enim est, ut quod quisque sua voce dilucidè professus est, sine causa infirmari.

XVII.

Homo hoc in statu commodè quidem vivit, dum habet fidum socium, omnis boni maliq̄ue participem, illi autem maximum accedit commodum, si negotia & per alium expedire potis est. Illud fit per liberas personas, vel servas. Hinc societas altera Herilis; Herus est qui imperat; Servus, qui imperata exequi necesse habet, quorum conditio ex Pandectarum libris latius patebit. Dominorum autem benevolentia sæpissimè illorum miseræ subvenit, donando scilicet libertatem, rem inæstimabilem; quibus illa concedebatur olim modis instituta docent. Hac occasione ut ostendam quid præsumendum sequentem pono casum: Dominus ancillam manumisit seu liberam esse voluit, ex qua in servitute constituta liberos susceperat: animus præterea fuit eam ducere in uxorem; Quæritur an præsumptio sit, Dominum personam manumissam libertate donasse, liberos ejus in servitute relictis, an verò præsumptio, & liberos unà cum matre libertatem accepisse, eosque ejusdem conditionis cum matre censendos. Videretur asserendum prius, cum nihil sit extendendum ultra id quod actum est, in præsentem autem casu, non videretur mentem Domini fuisse, libertatis collationem matri factam & ad liberos extendere, posterius ta-

B

men

mēn veriùs p̄r *cap. 4. Nov. 78. cap. 11. Nov. 18.* Dominus enim, si ancillam suam clemens respexit, quod majus filiis ostensurus est libertatis indicium, quàm eorum matrem olim servam, nunc uxorem legitimam ostendere: prætereà nemo putaturus erit Dominum ut habet Novella, voluisse matrem legitimam esse, proprios autem filios ex suo semine natos adhuc relinquere servituros.

XVIII.

Tertiò consideratur persona, quatenùs in societate paterna constitutus, quam absolvunt pater & filius, ille generat, hic generatur: Ille in natum tanto est affectu, ut illius malis magis sæpiùs, quàm propriis terreatur. *l. 8. §. 3. ff. quod metus causa.* Inde alia Præsumptio ex natura descendit, alia jure civili subsistentiam habet, alia mixtam causam fortitur: Prioris generis est præsumptus amor parentum in liberos, qui omninò naturalis, nullus enim hominum, ne ferarum quidem ita invidus, ut in propria sæviret viscera, illius potiùs est, quàm optimè liberis prospicere, hinc præsumitur, quod plerumque saluberrimum pro eorum favore capiant consilium. *l. 22. §. 4. ff. ad l. Juliam de Adult.* Et qui filium non amat, in dubio non præsumitur parens. *Exemp. in c. 2. de præsumpt.* ubi refertur judicium Salomonis, qui in disceptatione duarum meretricum, illam matrem proclamabat, quæ filium, de quo quærebatur, alteri vivum tradi lubentius, quàm interfici expetiit: Ille amor porrò operatur, ut parens soboli benevelit, ac benefaciat, quæ consistunt in alimentorum procuratione, & educationis cura; quæ pro diversa qualitate personarum, & diversimodè Jure Civili determinanda. Ex eodem principio quod ad mixtam causam referri potest, est potestas corrigendi filium, si fortè juvenili errore lapsus, patris mandata neglexerit, aut à femita virtutis aberraverit: Si ergò pater filium verberaverit Præsumptio est, correctionis causa id factum esse, nisi atrocitas poenæ aliud suadeat. *l. 1. C. de emendat. propinq.*

XIX.

Pater & filius perfectionem Juris interdum pro una eademque persona habentur, & filius dicitur vivente adhuc patre, rerum paternarum quasi Dominus: Hinc Præsumptio

ptio Juris est Civilis, quod res quæ fuit patris in dubio præsumatur filii esse. *l. 16. C. de probat.* Is autem de patre conceptus præsumitur, qui ex uxore ejus nascitur, licet interim cum aliis consuetudinem habuerit, ratio est, quia talis Præsumptio est partui favorabilior, seu benignior, ergò potiùs acceptanda, per textus vulgatos.

XX.

Cicero libr. 1. Officiorum rectè docet: Non solum nobis nati sumus, sed ortus nostri partem parentes, partem amici, partim patria sibi vindicat; Hinc primo civis quilibet operam dare procreationi, seu in matrimonio vivere tenetur; cum omni studio id intendere debet, ut Reipubl. suæ commodum, quoad facere potis est, promoveatur. Id autem commodiori via fieri nequit quàm augendo numerum civium; interest enim Reipubl. plurimos homines nasci, civitatemq; liberis repleri. *l. 1. ff. solut. matrim.* Imò magis Rempubl. ampliari cupimus hominum adjectione, quàm pecuniarum. Ex historiis patet, qua ratione apud Græcos, ut & apud Romanos incitati, & quomodo in nonnullis Imperii ditionibus ad matrimonia ineunda impellantur in propatulo est. Olim vel Cæsar ipse matrimonium ut iniretur sua fors exstitit, ob id quod Majores seu eorum egregia facta meruerant posteros habere, ne scilicet memoria subito deleteretur, sed illorum potiùs exemplo posteritati ad similia perpetranda calcar adderetur; Egregium hujus rei exemplum refert Tacitus *Annalium libr. 2. in persona M. Hortali nobilis.* Hinc habens filios præsumitur magis diligere patriam, & ob eandem rationem præferri debet decurionibus non habentibus liberos. *l. 9. C. de decurionibus.* Idque summa nititur ratione, is enim qui in Reipubl. majora meruit, majori afficiendus erit honore: Ex suprascriptis autem constat, eum qui procreationi sobolis operam dedit, exactiùs officio boni civis functum esse negligentem matrimonium: præsumitur ex simili ratione, patrem familiæ civem, majori cum diligentia ac studio commodum suæ Reipubl. promoturum, ob rationem quam dat Lucas de Penna: difficilem nempe larium translationem, is ergò qui liberos in civitate genuit; cui omnia bona hæc tenus patria

eria largita est; quidni maximo erga eandem feratur affectu,
um benefactori vel natura duce benefaciendum.

XXI.

Hæc de prima personarum consideratione *Th. XV.* facta,
secundum propositam methodum fati erunt: Sequitur al-
tera, quæ persona consideratur, ut Societatis justæ civis seu
membrum: id autem duplicem iterum involvit respectum;
civis hinc vel in respectu ad *Reipubl.* vel ad concivem con-
siderandus venit: priori modo, quatenus legibus *Reipubl.*
cujus se membrum futurum spondit, vivere tenetur; Uti
nihil sine ordine diu subsistit, ita nec *Reipubl.* sine legibus
benè erit. Lex illa anima *Reipubl.* est: illa divinarum atq;
humanarum rerum Regina nuncupatur. *l. 2. ff. d. ll.* Quo circa
præsumitur quemlibet civem eas scire. *l. 9. C. de leg. & Const.*
princ. Scire autem leges non est verba earum tenere, sed vim
& potestatem. *l. 17. ff. d. ll.* quæ potestas seu vis describitur.
l. 7. ff. d. ll. fundamentum hujus Præsumptionis in eo est, quod
paria sint leges scire, & scire debere, *arg. l. 5. ff. de rebus credit.*
proinde lex præsumit, quemlibet scire id, quod scire debuit;
Nec succurritur alleganti ignorantiam regulariter.

XXII.

Quatenus persona in respectu ad concivem, consideran-
da venit, ut subjectum, quod ob negotia inter se & cives ge-
sta, vel se aliis, vel alios sibi obligavit: Obligatio autem
omnis ut *ex S. 2. Inst. de obligat.* patet, è quatuor quasi fontibus.
Contractu scil. & quasi contractu, Delicto & quasi delicto
descendit: in singulis quid Præsumptio valeat ostendam:
Negotiatio illud ipsum est, quod civem civi, imò populum
populo conjungit, nisi enim illa floreret, nec *Indiarum*
populi, aut eorum regiones nobis cognitæ: illæ autem
quam maxime ineuntur contractibus vel pactis. Notum ex
libris juris contractum omnem plenarium fortiri debere esse
factum, nisi quid intervenerit, quod impedimento fiet. Inter
ea autem præcipua esse solent dolus & metus: Hinc ille contractus,
cui dolus causam dedit, nullo jure valet *per l. 1. ff. de dolo malo.*
Similiter quod metus causa gestum erit, prætor ratum non
habet. *l. 1. ff. quod vi metusve causa.* Circa impedimentum
posterius fingamus *Titium* cum *Mævio* certum iniisse

iniisse contractum, cujus celebrationi interfuerint quidam
Titii consanguineorum, postea verò Titius dicto contractui
opponat exceptionem quod metus causa, petatque initum
contractum rescindi, ac se in integrum restitui. Quæritur
in dubio, an Præsumptio sit, exceptionem quod metus causa
opponi posse, aut contractum præsentibus amicis initum
metu initum intelligi debere. *Resp.* quod non, quia in actio-
ne quod metus causa, contrahens metu ut inductus sit, re-
quiritur, quæ Præsumptio hic cessat, nam ubi personæ, de
quibus Præsumptio potius, quod propter necessitudinem,
aut charitatem nihil ad defensionem contrahentis omittent;
illis præsentibus contrahentem metu inductum dicere, nefas
erit: Eiusmodi autem Præsumptio est à parte consanguineo-
rum, quod nempe non sit verisimile eos defensionem omittu-
ros per l. 5. §. 1. ff. quibus ex causis in possess. eatur. Imò qui trans-
actionem à se amicis præsentibus initam metus velamento
rescindi postulat, propriam detegit improbitatem. l. 35. C. de
Transact. Ad minimum autem Doctores præsentiam duorum
amicorum seu consanguineorum requirunt.

XXIII.

Circa dolum; qui in iure vel verus, vel præsumptus est,
Verus describitur in l. 1. §. 2. ff. de dolo malo. l. 226. ff. de Verb.
Sig. l. 32. ff. depositi vel contr. à. Et consistit in proposito fallendi:
Præsumptus autem ex lata descendit culpa, & est cum quis
in re illicita versatur; cujus speciem exhibet l. 41. ff. ad l. falcid.
Ubi præsumitur eum dolo non carere, qui legata sine cau-
tionibus dat, cum jam ipsi controversia de hæreditate mota
fuerit.

XXIV

In pactis egregiam Præsumptionis speciem exhibet l. 2. ff.
de pactis. Cujus sequens Casus: Titius Mævio certam pecu-
niæ credidit summam; Mævius Chyrographo Titio cavuit:
Titius cautionem illam debitori suo Mævio reddidit; quæ-
ritur quid actum censeatur, & respondet Paulus Ictus in al-
leg. lege, præsumi inter eos convenisse, ne Titius in poste-
rum peteret seu quod idem est, debitum ex eo quod cautio
reddita remissum censeari. Ut autem in dicto casu Præsumptio
illa effectum juris habeat, sequentia Dd. ponunt requisita.

Primum est redditio ipsa, ita tamen qualificata seu eo animo facta, ut debitor cautionem illam recipiat, sibi iterum acquirat & retineat. Sicuti enim stipulatio congruam requirit responsionem ad interrogata, qua deficiente non valet, uti per vulgata notum. Ita & in hoc casu, accipientis animus correspondere debet animo dantis, & sic debitor animum eam recipiendi æque ac creditor animum remittendi habere debet, præterea invito beneficium dare quid absurdius: Si autem creditor cautionem debitori reddiderit, ut ejus inspectionem saltem habeat, fortassis quantitatem aut qualitatem debiti exinde cogniturus cautio non videtur reddita. *arg. l. 55. ff. de solut. & liberat.* ille enim qui animum habet cautionem recipiendi debitorem non liberat, & quod sub conditione datum est, ea impleta restitui bona fides omnino postulat.

XXV.

Secundum requisitum est. Ut Cautionis Originale seu authenticum ipsum reddatur; hinc ex redditione copiae seu exemplaris, vulgò das Concept, debitum remissum minime censetur. *arg. princ. Instit. de empt. vendit.* Ratio, quod copiae amplius nullus usus, seu nulla efficacia, ubi ergò Originale ipsum remanserit apud creditorem, reddita ejusdem copia debitori, nihil actum, quod ad liberationem ejus facere posset, præsumitur. Tertium est, ut Cautio illa reddatur à creditore ipso, idque summa nititur ratione, hinc enim de translatione Domini agit, cujus potior potestas Domino competit, ut potè qui legitimam de rebus suis disponendi habet facultatem. Hinc si tertius quidam e. g. apud quem Chyrophographum depositum, vel oppignoratum sit, illud debitori tradat, nec redditum rectè dicitur, nec debitum remissum præsumitur cum tantum Juris huic non competat; redditio enim contra voluntatem Domini facta, de Jure illius nihil minuit, illa ergò debitor nihil consecutus est, sed ad debiti solutionem Jure compellendus. *l. 15. C. de solution.*

XXVI.

Quartum ut debitum remissum præsumatur. Est Cautionis redditio debitori ipsi facta. Ei enim cujus plurimum interest maximè reddi debet. Hinc si creditor eam tertio quidam tradiderit, non præsumitur ea intentione facta, ut debi-

debitori reddatur, sed potius traditionem illam ex causa pignoris vel donationis, vel ex alia causa facta praesumitur, & si nulla traditionis causa appareat, custodiae gratia tertio data praesumitur: Ratio in eo esse videtur, quod regulariter pacto meo alteri nec prodesse, nec nocere possim. *arg. l. 17. §. 4. l. 27. §. 4. ff. de pact.* Quintum & ultimum erit, ut Chyrographum reddatur simpliciter, seu ut creditor nullam redditionis alleget causam, si enim dixerit se Chyrographum, reddere eo animo, ut debitum remissum fiet, non amplius pactum praesumptum, sed expressum erit.

XXVII.

Duo adhuc circa hanc materiam discutienda veniunt: primum occasione secundi requisiri. Ubi dictum Originale ipsum reddi debere. Quæritur, si cautio seu instrumentum illud cancellatum à creditore ipso, vel inductione facta per omnia cautionis folia, debitori traditum fuerit? An debitum remissum, an verò solutionem factam Praesumptio fiet? Dicunt Bachovius ad *Trentl. vol. 1. disp. 6.* & alii, quod in praesupposito casu debitum remissum praesumi non possit; Rationem in eo ponunt, quod licet è cancellatione magna resultet Praesumptio, quoad liberationem creditoris, non tamen præcisè debiti remissio, cum ad eam praesumendam non sufficiat solius creditoris voluntas, sed & requiratur, uti in reliquis postulatis monui, debitoris acceptatio & consensus. In omnibus enim rebus quæ Dominium transferunt, affectus ex utraque parte contrahentium concurrat oportet, & nisi animus utriusque consentit, id quod inchoatum est, ad effectum perducere non potest. *l. 55. ff. de Oblig. & Action. l. 10. de donat.* Idè in tali casu solutionem potius factam praesumunt, cum nemo facile praesumitur cautionem cancellasse seu induxisse, sin ejus adhuc sperandus usus; Ubi autem solutio facta praesumitur, ibi ex ejus redditione remissionem factam intelligere, supervacaneum, cum vel ipso Jure solutione facta de debito iterum exsolvendo sit securus.

XXVIII.

Alterum est, cum constet ex redditione & acceptatione cautionis cujus praesumptio in possessione est, pactum de non petendo initum censeari: Si de ejusmodi pacto controversia oriatur,

oriatur, v. gr. tale pactum intervenisse debitor affirmet, creditor neget; quæritur, cui incumberet probatio. Et responderetur debitori. *l. 19. ff. de prob. & prasump.* Ratio, quia affirmanti æquiparatur, qui regulariter probare necesse habet. Non autem suffecerit debitorem probasse, se cautionem possidere, sed & reliquorum probatio ipsi incumbit, præsertim cum ex aliis variisque causis ejus possessionem nancisci poterit, citrà omnem à parte creditoris reddendi, aut debiti remittendi voluntatem, ut ex supra dictis apparet.

XXIX.

Negotia inter privatos gesta dicta ratione subsistunt, nonnunquam verò ad majorem rei gestæ fidem, in arduis præsertim requiritur, ut Instrumentum, vel à persona tali, quæ publicam mereatur fidem sit conscriptum; vel ut non minoris autoritatis libro publico scilicet sit insertum; Quid circa hoc Præsumptio possit, Thesis præsens demonstrabit. Persona talis vulgò Notarii publici nomine venit: Est autem illa persona, publica autoritate, Cæsarea scilicet, vel cui id à Cæsare concessum, ut Comitibus Palatinis, &c. munita, ut requisitus rem gestam solenni modo describat, in eum finem, ut ob ejus interpositam autoritatem ei major habeatur fides. Præsumitur ergò à parte Notarii, ipsum benè & rectè exercere officium suum, præsertim cum juramentum desuper præstare necesse habeat: porrò quicquid scriptum in instrumento ab eo confecto, præsumitur scriptum de voluntate & commissione ejus, qui eum ad hoc requisivit: Hinc si instrumentum producat, cui insertum sceminam beneficio Senatus-Consulti Vellejani renunciasse, certiorata de ejus beneficio à Notario, licet postea prædicta scemina rogetur, quid sit Senatus-Consultum Vellejanum, & respondeat se ignorare; tamen Præsumptio in contrarium operatur, & fides Instrumento habenda. Ex ejusmodi ergò Instrumento tres deducuntur Præsumptiones. 1. Illud pro verò habendum. 2. Pro solenni. Ubi tamen præsupponimus nullam solennitatem à Notario omissam, id enim ad officium ejus spectat, & si eas studio omiserit, tenetur de dolo. 3. Quod ea quæ scripta sunt præsumantur à partibus dicta *per cap. ad audien-*

audientiam de præscript. Et si reperiatur aliud scriptum, quàm dictum, potius error, quàm falsitas præsumitur.

XXX.

Sequitur species unica Præsumptionis in quasi contractu. Negotiorum scil. gestione: Negotiorum gestor autem vel in genere is est, qui rerum alienarum curam habet, vel in specie, qui sine mandato alterius negotia gerit: Absentis porrò uti & præsentis negotia rectè geruntur, si modò uterq; id ignoret, sed quæritur, si præsens in negotio sciverit sua administrari, quid præsumendum: Et responderetur, eum qui aliàs negotiorum gestor erat, jam mandatarii officio fungi, *arg. l. 18. ff. Mandat. vel contrà.*

XXXI.

Restat dicere de Obligatione ex Delicto descendente. Est autem delictum offensio contra Jus illata: Offensio autem est alterius, & utilitatis atque status vel publici vel privati: Hinc delicta alia sunt privata, alia publica. De iis autem in genere notandum, quod regulariter non præsumantur. *arg. l. 51. ff. pro socio.* Ubi is, qui rem communem amovit, ut ea utatur, non præsumitur, Jus alterius invertere voluisse, sed potior Præsumptio est, eum jure suo uti, quia pro parte Dominus.

XXXII.

Delictorum inter species numerantur quoque furtum & injuria; Furtum seu res furtiva ab eo qui tale quid commisit, communiter ad domum propriam deferri solet; non tamen ex eo Universaliter, quod res furtiva in ædibus aliqujus inventa fuerit, eum furem esse præsumendum est. *l. 2. C. de furt. & serv. corrupt.* Hanc tamen addo limitationem; Ut is in cujus ædibus res reperta sit bonæ fidei, & existimationis; aliàs alium illa præsumptio produceret effectum. Injuriam satis fit, vel præstando id quod petitur, vel injuriam remittendo: Hinc qui injuriam remittit, illam in perpetuum remittere præsumitur. *S. 12. Inst. de injur.* Remissio autem nulla fieri potest, nisi injuria præcesserit; quam ex affectu injuriandi præsumimus, hinc qui alium injuriosis verbis appellat, affectum injuriandi habuisse præsumimus, quia in re illicita versatur. *arg. l. 41. ff. ad leg. falcid.*

C

XXXIII. E

XXXIII.

E duobus simul digladiantibus, quæritur quid præsumendum; si unus illorum interfectus fuerit. E. *Resp.* præsumi interemptum fuisse aggressorem: Ut verò illa præsumptio locum habeat, locus erit sequentibus conjecturis.

1. Quod merita vitæ anteaactæ sint pro eo, qui in vivis est; qui enim bonus antea fuerit, ejus adsertioni credi debet. *arg. l. 5. §. 6. ff. de re milit.*
2. Si probari possit, mortuum fuisse rixosum, ex quo præsumitur, eum ad rixam provocasse. Ubi enim duo mutilati, nec appareat, quis fuerit insultor, præsumitur, contrà magis rixosum:
3. Quando ille, qui occisus sit robustior, vel potentior, quod ex qualitate personæ loci, aut armorum desumendum: In dubio autem secundum Richard. Malumb. præsumitur, quod fortior provocaverit.
4. Et aliis conjecturis locus est, e. g. si probarum esset, quod iste vivus exclamasset, petendo auxilium, licet postea alium interemerit, nihilominus præsumptio esset, eum insultari, reliqua judicis arbitrio committimus.

XXXIV.

Qui delicti accusatur rei nomine venit, illumque iudex causa cognita vel absolvere vel condemnare tenetur. *l. 1. ff. de re judic.* De facto autem antequam sententia feratur, ut constet necesse est, id jam sit vel expressè, vel tacitè. Priori modo tripliciter,

1. Confessione rei, dum ad factum propositum, seu ad articulos de facto conceptos affirmativè responderit. *caus. 15. quest. 1. cap. 1. & 2.*
2. Rei evidentia. *distinct. 28. c. 4.*
3. Contumacia, *caus. 3. q. 9. cap. 10.*

XXXV.

Posteriori modo de delicto constat per Præsumptiones; Hac ratione qui percusserit aliquem parvo cultello, de illo potior Præsumptio est animum occidendi non habuisse; Ratio quod tantum periculum è parvo vulnere non sit metuumdum: Sed Coronidis loco quæritur, quid eo in casu, ubi duo delicta concurrant, grave scil. & minus grave; præsumendum? Et respondent Dd. Præsumptionem pro minori stare delicto, eousque dum gravius delictum commissum probetur, fundamentum in illo trito ponunt: E duobus malis minus eligendum; sive quod idem est, in dubio benigniori

gniori sententia præferenda, exemplum affertur in *l. 32. ff. de pœnis*, ubi pro mitiori præsumitur: Simili ratione, si apud mulierem multæ diversæque res reperiantur, quarum titulum demonstrare non possit, quæritur, an præsumi debeat, mulierem res illas de quibus quæritur, furto à marito surripuisse, an verò mulierem res illas ab adulteris lucrasse; (præter has duas causas, sin titulum excluseris, vix alia datur.) Et *Resp.* Cum casus ille sit, ubi duo delicta grave & minus grave concurrant, prætereà in dubio pro mitiori Præsumptio stet, potius dicendum fore, mulierem res illas, quarum titulum probare nequit, marito surripuisse: Cum Præsumptio contraria, lucratio scil. ab adulteris facta, majus marito, familiæ, imò Reipubl. afferat detrimentum. Et hæc de membro secundo satis erunt, sequitur de Præsumptionum Effectu.

MEMBRUM III.

De Effectibus Præsumptionum.

XXXVI.

Effectus Præsumptionum secundum specierum enarrationem membro præcedenti factam proponendi; Cum autem *Th. XIII.* generales præsumptiones circa personam expositæ, meritò illarum effectus primum sibi vindicant locum: Hinc iudex ex præsumptione, *reg. 8. in 6to.* si persona aliquoties in delicto deprehensa fuerit secundum Doctorum sententiam ad torturam procedere poterit; Ratio in dicta *Th.* data, quod scilicet ex actuum frequentia præsumatur, eum qui actibus illicitis aliquoties interfuerit, sceleratum seu pessimum esse: Secundæ speciei. *cap. 6. de præsumpt.* effectus est, ut probationis onus rejiciat in adversarium, cum pro eo, qui bonus fuit, præsumptio stet, illum bonum esse, donec contrarium probatum fuerit; qui effectus quoque rectè à *Vigelio Method. Jur. Controv. lib. 2. c. 10. r. 7.* inter effectus præsumptionis generales refertur. Generalis circa res præsumptio operatur, ut in dubio servitus nulla exigi possit per *Jura Th. XIV. alleg.* Item quod pro Domino antiquo pronuntiandum, ubi tamen nota, de Dominio

illo antiquo, ut illa præsumptio effectum Juris habeat, per probationes manifestas & liquidas constare debere.

XXXVII.

Expositis generalioribus, descendendum ad specialium Præsumptionum effectus; & quidem secundum personarum considerationem *Th. XV. factam*, trium illarum societatum quæ Arist. primarum seu simplicium nomine veniunt, effectus tum ex Jure Naturæ descendentes, nec non quidam, quos Jus Civile superaddidit, enucleandi veniunt. Societas autem nuptialis prima erit; cujus ex Jure Naturæ effectus est, ut aliquod Imperium in uxorem marito concedat, nec non communionem omnium bonorum inter conjuges constituat: Jus Civile perpetuam mulieris curam marito injunxit, bonorum administrationem detulit, injuriæ uxori illatæ vindicationem permisit, dotis Dominium tradidit, quorum omnium ut & reliquorum effectuum cognitio ex ff. patet. Altera societas herilis nuncupatur, cujus effectus de Jure Naturæ nullus est, ut potè quo Jure servitus incognita, cum omnes liberi nati simus. *princ. Instir. de libertinis*. Servitute verò introducta Jus Civile varios effectus ei tribuit, quales sunt, quod servus omnia acquirat suo Domino. *§. 1. Inst. de his qui sui vel alien. Jur.* quod in vico Domino proprii nihil possidere possit. *§. 3. Inst. per quas personas cuiq; acquir.* quod Domini fidelis custos ac defensor existere debeat, nisi poenam gravissimam incurrere velit; cujus exemplum Tacitus in Annalibus recenset, ubi ob Dominum interfectum Cato censuit, Quadringentos servos interficiendos, qui in Domini familia reperiebantur addita ratione. *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum quod tamen publica utilitate rependitur*: Casus sub finem *Th. XVII.* allatus effectus est, ut patri ex asse succedant, ac omnia Jura liberorum habeant. Tertia societas paterna salutatur, *Th. XVIII.* quæ Juræ Naturæ potestatem in liberos utriusque parentum tribuit, & secundum Hobbesium in tractatu de Cive majorem matri quam patri: De Jure Civili vero tantum patri, quæ olim ad Jus vitæ & necis extensa erat. *§. 1. Inst. de patr. potest.* Item per filium æquè ac servum pater sibi acquirebat. *l. 79. ff. de acquir. heredit.* sine ejus consensu nuptias contra-

here

here non poterat, ne patre invitus suus agnoscat hæres. *l. 2. ff. de ritu nupt.* A parte filii Jus Naturæ reverentiam ac obedientiam exigit, Jus Civile restitutionem adversus patrem nullam concedit. *l. 9. C. qui & adv. in integr. restit. non poss.* In Jus vocare non nisi impetrata venia permittit. *l. 4. ff. de in Jus vocando.* quod tamen consuetudine plurimis in locis abrogatum est, cum hodiernis moribus omnis citatio publica fiat autoritate, non ergò necesse specialis illa veniæ petitio. In publicis autem filiusfamiliâs pro patrefamiliâs habetur. *l. 77. ff. de judic. & ubi quisque agere vel conv. prat.* Præsumptus amor patriæ, qui in augendo civium numero per matrimonium factio consistit, præferentiam operatur. *l. 9. C. de Decurionibus.*

XXXVIII.

Sequitur alia personarum consideratio, quâ scientiâ legis de quolibet cive præsumitur, per jura *Tb. XXI.* allegata; illius effectus est, ut regulariter contra ignorantiam legum allegantem pronuncianum sit; Contractus cui dolus vel metus præsumptus causam dedit, quorum exempla *Tb. XX. & XXIII.* recensui, efficit, ut nulla actio valida de Jure Civili intentari possit, quod intelligo, de actione cum effectu intentata, tali scilicet, qua id quod peto consequi possim; aliâs verum est, è contractu dolo initum agi posse, sed cum ejusmodi actio ope exceptionis elidatur, validè agi nequit.

XXXIX.

Species alia explicata est *Tb. XXIV. & seqq.* occasione *l. 2. ff. de pact.* Circa ejus effectum diversa est *Dd.* sententia: Sunt qui existimant, ex redditione Chyrographi omnem obligationem tam naturalem, quam civilem sublatam præsumi debere, ut Baldus de Ubaldis. *tract. de pact. num. 53.* Alii obligationem naturalem ipso jure quidem tolli statuunt. *l. 59. §. 4. ff. de solut.* civilem verò obligationem ut & actionem quoad substantiam salvam relictam, atque eandem tantum ope exceptionis excludi, uti per verba *alleg. leg. pater.* Illius autem exceptionis ea est natura ut ratione temporis, item ratione effectus sit perpetua: Hinc illi exceptioni præscribi nequit, & semel coram judice allegata, actionem omnem in perpetuum excludit. Qui enim Chyrographum reddidit,

non hoc præsumitur egisse, ne scil. intra certum tempus pe-
nat, sed ne in totum exigat. Qui effectus ita quoque compa-
ratus, ut cautione reddita debitum ne quidem à debitoris
hærede exigere possim, Ratio est, quia pactum nostrum non
est personale, sed ejus personam egreditur, & reale est: præ-
terea per l. 9. ff. de probat. quilibet non tantum sibi, sed etiam
suis hæredibus prospicere voluisse præsumitur; prodest ergo
illud pactum debitori, ejusque hæredibus, imò omnibus,
quorum interest, principalem obligationem dissolutam esse.
l. 21. §. fin. de pact. etiam debitoris fidejussori. l. 7. §. 1. ff. de ex-
cept. Cautio verò reddita fidejussori, non effectum post se tra-
hit, ut principali debitori exceptio inde nata præsumatur,
sed tantum fidejussio remissa videtur. arg. l. 32. ff. de pact.

XI.

Ad finem propero. Verbo saltem de effectibus qui super-
sunt dicam; Mentio facta Th. XXXIX. instrumenti à Notario
confecti, cujus effectus est, ut valeat, & ejus adsertioni plena
habeatur fides: Negotiorum gestionis ut & mandati effectus
è Jure Civili parebit. Circa delicta notandum, cum illa regu-
lariter non præsumantur, tamdiu quis innocens pronun-
ciandus, donec de delicto per modos Th. XXXIV. allegatos con-
fiterit. Circa furtum verò, si is in cujus domo res furtiva in-
venta fuerit sit malæ fidei & existimationis, secundum
quorundam sententiam illa præsumptio sufficiens erit judici
ad torturam. Effectus porro speciei in Th. XXXIII. exhi-
bitæ est, ut pro vivo sententia ferenda, quia mortuus secun-
dum præsupposita loco alleg. licitè quasi interfectus censetur.
In dubio denique, ubi concurrentia delictorum est, pro le-
viori pronunciandum, cum favorabilia & benigniora du-
ris sæpissimè in Jure nostro præferenda. arg. l. 8. C. de judicis.
Et hic sistere jubemur. Benevolum interim Lectorem modo
quo par est rogantes, ut ea quæ hic de præsentis materia
congestimus dextrè interpretari, ac nobis ul-
teriori suo favore dignos exi-
stimare velit.

COROL-

COROLLARIA.

- I. *Qui rei sua curam per triginta annos neglexerit, de illo merito præsumi poterit, eum rem illam pro derelicto quasi habere.*
- II. *Hujus fundamentum ex Usucapionibus & longi temporis præscriptionibus patet; quæ Jure Civili pro legitimo habetur acquirendi modo; quamvis aliis, secundum æquitatem rem forsitan existimantibus id iniquum videatur, quorum sententiam, usucapionem scilicet in statu extra Rempublicam, iniquam esse, exercitii gratia defendam.*
- III. *Amor paternus quid operetur, è Disputatione abundè videre est. Hinc præsumptio patrem, e. g. Sartorem aut sutorem filium suum quam optimè in sua arte instruere voluisse, & si filius artem illam minùs accuratè noverit id non patri, sed negligentia filii, qui optimum patrem sequi neglexit, imputandum.*
- IV. *Eum quem Electores in Imperatorem elegerint, hoc munere dignum, præsumimus.*
- V. *Ea Jura, quæ tempore interregni, Vicarii Imperii exercent, ut nobilium creatio, &c. non Jura proprio, sed Jure quodammodo representativo possidere dicuntur.*
- VI. *Non tamen nobilis ab Imperii Vicariis creatus, minor est dignitate, illo quem Imperator ipse creavit; iisdemq; gaudet privilegiis.*
- VII. *Feuda introducta sunt à Longobardis, in recompensationem præstitæ militiæ, primitùs annua, mox ad dies vitæ, deniq; consuetudine invaluit, ut in perpetuum concederentur.*
- VIII. *Vasallus is dicitur, cui Dominus feudum concessit, ut ipse fidelis sit, quæ fidelitas de natura feudi, quamvis iuramenti præstatio remitti possit.*

IX. *Vasallus Dominum defendere tenetur, ita tamen ne sibi apertum exitum comparet, rationem in Disputatione videbis.*


X. *Difficilis quidem & cum labore omnis instituitur processus, illorum verò statuum conventio difficilima, qui Jure Austregarum gaudent.*

XI. *Jus Canonicum in nonnullis materiis rectè sequimur.*

XII. *Jus Canonicum aequali apud Pontificios pollet auctoritate; Ratio quod summus Pontifex idem possit in suo territorio, quod Imperator in sua ditione.*



I.

 Laudite Gradivi portas, cessare feroces
Terribilesque Noti faciunt, mordacia brumæ
Frigora cōpescunt animos, lachrymosa virago
Lixarum pariterq; senum non militis arma,
Non galeas, non scuta petit, non cassidis usus,
Sed requiem fessis membris placidamque quietem
Singultu tremulis optat post athera voris.

Pande fores studiosa cohors, nil inclyta Pallas
Nil facies galeata Deæ, nil plectra tenentis
Ingeniosa manus Phæbi fera tempora curat.
Stet glacialis hyems, tristatum frigore cœlum
Diruat ancipiti terras, vis noxia Ponti
Ambiat orbis opes & gramina rore maritet
Non tamen omnis honos studiis decedet ut armis.
Cerne, Themis duplicem, post discrimina rerum,
Post missas patriæ sedes, post ora relicta
Cimbrorum, Martisque domos & Suevica tecta
Verè præsumptam spondet Basilea coronam
ASVVEDIOQUE NOVOS ritè decernit honores:
Plaudit amicorum lætanti murmure turba

Grata-

Grataque continuo deducit carmina nexu;
Vive diu communis amor! condigna laborum
Præmia qui repetis, faveat tibi lucidus æther,
Posthuma quò veniat tibi gloria filia laudis,
Gloria, quæ Patriæ limen promittit honoris.

*Communibus omnium votis sua hisce interserere debuit
vota Colonia Allobrogum*

ALBERTVS MEYER Bremensis, Saxo J. U. Doct



II.

Delicium, Vir doctè, meum Præsumptio quid sit,
Pluribus, ingenio non renuente doces.
Si qua materies, hæc est dignissima, de Te
Omnia præsumsit maxima noster amor.
Vix ego te vidi, præsumsi: hoc nobile pectus
Cælicolæ Themidis mystica sacra tenet.
Doctrinam dum specto tuam, præsumere pergo:
Ambiet hunc Juris ferta corona brevi.
Præsumsi hæc olim: mea jam Præsumptio crescit
Assurueden Patriæ gloria sedis erit.

*Nobilissimo ac Clarissimo Dn. Candidato paucula hæc
in debiti amoris Symbolum apposuit*

H. AB ØHSTERVVIC, J. U. D.



III.

DUm terræ nova forma redit jam vere sereno,
Primitiasque novi graminis arva gerunt:
Tu quoque doctrinæ, Vir præstantissime, florem
Promis, & Astrææ semina condis humo.
Maeste animo fœcunda dabunt cum fœnore fructus
Semina, Doctoris laurea messis erit.

D

Hæc

Hæc tua messis erit, sed non tua sola manebit,
Patria post reditum participabit eam.
Trioletmi tibi currus adest; quin ante triumphas.
Si mentem habet gloria tanta tuam.

Ita Nobilissimo Dn. Candidato amico & consalino suo suavissimo applaudere voluit debuit.

C. E. STAPEL



IV.


Contra Fura facis, præsumpti Fura recensens;
Namq; negas verbis, quod tua verba probant.
Scilicet ipse doces, quod non Præsumptio firmam
Atq; valituram tradat ubiq; fidem:
Attamen hæc præsens Præsumptio comprobatur actu,
Quod verè ac solidè candida Fura scias.


*Inter varios applausus, quos singularis Virtus ac Eruditio
Nobilissimi Dn. Candidatidudum meruerat, hisce
paucis Eidem obsequia sua contestari voluit*


GERHARDVS SCHRODER,
Herword. Vvestph.

F I N I S











AC CARCERES IN CAUSA DEBITI

sonalis arresti gratia secessionem fecerit eum in cambiale usu vel lege *haud inuictum*; nihilo valide cambialiter conveniri posse, docet BEI For. Tit. V. 3. n. 4. p. 137. Conf. BARTH. Ho IV. §. 4. p. m. 833.


8) In litteris cambii *non requiritur jam facta de excussio* jure Saxonico et aliorum locorum leg cambium et pactum obligationis ad carcerem c xonia.

9) In iisdem igitur *nec bonorum cessio* liberat a ca Conf. b. ABR. KAESTNERI disp. *de obligatione causa debiti*. Lips. hab. 1723. et V. C. IOH. FRI de pecunia mutuatia tuto collocanda. Cap. III jus autor exquisitoria tradit, quam inscripti promittit.

§. CXVIII.

Obligatio ad *obstadium* etiam ab obligatione d rem est diversa. Illa enim, nomine ante diem nei bitor interpellatus *diversorium publicum ingredi*, in fere, donec creditori satisfecerit, obstringitur. Q cum designatum *haud ingreditur*, per sententiam ob gitur et quidem cum comminatione poenae *des Schu* tenia ita habet: *Ist beklagter also fort nach Insin nach den öffentlichen Gast-Hof N. zubegeben und das gestellte Einlager zu halten schuldig, mit der Com dem nicht also nachkommen wird, daß auf den fall des Schuld-Thurm ietzt alsdann und dann als ietzt g auf fernar gegen ihn ernstlich verfabren werden soll.* obstadium hodiernum in terris *Sleswico-Holsaticis*, Ha re constat. CAROLUS V. Imp. litteris civitati *Gelnhaus* bus *Spirensibus* an. 1349. datis se ipse ad obstadium

K 3



77

us
ibi
sc.
ap.

um
em
Sa-

m.
ex
m.
ru-
ste

ce-
de-
offi-
lo-
un-
en-
sch
or-
er
ffe
ar-
ad
ne-
vi-
id.
Ex-